

CLARISSIMO NOBILISSIMOQVE VIRO DOMINO D. DE FLECCELLES IN SVPREMA REGNI CVRIA

SENATORI INTEGERRIMO P. SAVARRE ΑΘΑΝΑΣΙΑΝ.

ESSETNE *aliqua tanto crimine digna remißio, ſi in ſacram Aſclepiadarum familiam ſine defenſore & patrono cuperem cooptari, vbi prius ſuos quiſque noſcat genios, Deoſq; fauitores ſpectet neceſſe eſt? à te* (Senator æquiſſime) *patrocinium expoſcerem, niſi magnopere formidarem à forenſibus curis ad priuatas eum cuius humeris regia & publica incumbunt negotia adducere. Id certè ſi inſolens foret ac temerarium totū meum diſcrimen erit: verum quia humanitas in me tua ſingularis & incredibilis ad hoc impulit, faciam equidem eoque libentius, quo ex gentilitijs tuis inſignibus bene ominatus, fortitudinem & ardorem, quos facies tui Leonis horride iubata, obtorta quoque illius alcæa ſignificant, ſum mihi pollicitus: quem enim tanti diſcriminis æquiorem propoſitique tenaciorem iudicem te præter mihi comparaſſem, qui iam permultos in hoc publico munere, quo fungeris, annos teipſum ſacræ Themidos rigidum cultorem exhibuiſti. quare ſingulari tua eruditione, incredibilique in rebus fortiter conficiendis experientia & prudentia recreatus, in arenam dimicaturus deſcendam, eoque audentius, quo certo ſciam me illâ tuâ fortitudine & humanitate velut clypeo tectum, irruentium in me impetus declinaturum, hoc ardore animis ſtimulos adijciam, quibus, ſingulari illo incredibilique amore, feliciter ſum euaſurus.* VALE.

QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE MERCVRII XX. MENSIS DECEMB. MAGISTRO GVILLELMO BELET DOCTORE MEDICO ET PROFESSORE REGIO MODERATORE.

An Aſthmaticis diuretica?

SVSPIRIO, quod ἆϑμα græci dicunt, deſignatur difficilis, parua & crebra citra febrem reſpiratio cum ſonitu ſtertoroſo ab aſperarum arteriarum pulmonis (ταμιεῖ πνεύματος φωνητικοῦ ἅμα καὶ ἀναπνευστικοῦ ὀργάνου) στενοχωρίᾳ, quæ interuallis redit cùm humor craſſus turget in arteriis aſperis, aut hæ ab intumeſcentibus læuibus à tuberculo crudo plane ἀνιάτῳ, vel à luxata intus vertebra comprimuntur, vt nec liberè nec liberaliter, ac non niſi reſidendo ducatur reddaturque ſpiritus, ac minus inſpirent Aſthmatici, quàm ſit ex vſu reſpirationis (non prorſus animalis actionis) licet his perinde ac ſuppuratis & peripneumonicis plurimum thorax, pulmonis motus moderator, dilatetur.

ASTHMATI fœminis viri opportuniores, hoc verò inter hos, ſenes & qui anguſtis ſunt pulmonibus magis diuexantur, & quos tuſſes crebræque, nec tamen ferinæ, diſtillationes exercent: hæ namque tunicam, quæ aſperam arteriam eiuſque propagines ſuccingit natiua temperie modice ſiccam, humore à cerebro primùm acri & tenui (valeant catharrum & Aſthma qui ſemper frigidum dicunt) deinde glutinoſo, imbuentes, infarctus illic generant quamplurimos, genitoſque fouent: tunc Dyſpnœæ ſumma ſunt omnia, quam cum tuſſi & raucitate coniunctam committit & prodit materia ſputorum, quorum inchoata fuit ἄνοδος, ſed à ſupernis partibus ἀντικαταφερόμενα rurſum præcipitantur, per pulmonis bronchia diſperguntur atque in ijs impacta tenacius ἀσαπέως καταγλισχραινόμενα fiunt: ex illo fluere & retro ſublapſa referri ſpes vitæ, à quâ τὸ ἀναπνεῖν ἀχώριστον: hinc Aſthmatici, ex ijſque Orthopnoici non tam ægrotant quàm animam agunt; an non hi ſuſpirioſi nominandi? quidni? ſuſpirij nocendi vis eximia, pulſum arteriæ paruum, frequentem atque depreſſum parere, ægre, crebro & exiliter nonnunquam ore patefacto, ſpiritum ducere, per vigilias multoque magis per ſomnum ſtertere, voce exili & obſcurâ ſonare, aſſiduâ & aſperâ tuſſi vexari, quæ quatuor aſthma perficiunt: aſſident quaſi pro foribus & quod ab interius abditis humoribus præſens intentetur ſuſpirioſo ſuffocationis periculum, pallida facies, malæ rubentes, oculi prominentes, manifeſte loquuntur.

ΔΙΟΥΡΗΤΙΚΑ ἘΞΑΙΡΕΤΩΣ ita dicta, non quia ſolum vrinas, ſed quia ſolas, non etiam menſes aut lac moueant: ſemen apij, petroſelini, agrioſelini, dauci, ameos, & alia quamplurima cumprimis excalfaciunt, valenter deſiccant, vt acria valde, non extenuant modo, ſed & mirè permeabili ſua λεπτομερείᾳ vim habent ſimul tum excalfaciendi, exſiccandi, cùm etiam ſecernendi & cogendi. Sanguinem quippe liquant, & quod in eo craſſum eſt denſant & ſiccant: In ipſo verò coactu, quod in ſanguine facile effluxurum ſeroſum eſt tenueque ſecernunt, aſthmati, pectoris, pulmoniſq; vitijs planè aduerſa, vt πτίσαι in morem, ſeroſum liquorem copioſum generent, hunc verò nunquam propellant foras, niſi inſitâ vi ἑλκτικῇ ſtrenuè renes ad ſe trahant: an πρὸς ϑρέψιν pariter vt οὔρησιν?

AD liberalem vrinæ ἀπόρροιαν naturam eôdem fortiter vnà conſpirantem iuuare videntur, quæ maximâ potius partium tenuitate, quàm calore, vrinam ciere perhibentur, ſemina frigida maiora, ſuccus limonum, mali citrij ſemen & ſuccus, & ſi quæ ſimilia: at neque iſtis frigidis & non exactè diureticis, quidquam promouebimus, cùm humorum viſcoſorum copia bronchia pulmonis oppleuerit, vel tumor abſceſſui ſimilis in ipſo conſtiterit. Hæc nempe vt moueant, non emouent, imò impenſiùs refrigerando humores incraſſant, coagmentant, eoſque δυσεκκρίτους reddunt: nunquid igitur exulabunt à remedijs Aſthmaticorum τὰ ψυκτικὰ prout ἐμπλαστικά; ſanè horum vſu peręquè intercipietur ἀναχρέμψεως ſpiritui fuliginique via pręcludetur.

IN HOC imminenti ſuffocationis periculo, quô nullum moleſtius, aut maiore metu percellit, ne ſpiritus ipſe qui toties ægrè itque reditque viam, faciat breui quod ſæpè conatus eſt, ipſeque æger expiret; quamprimùm tempeſtiuè ac tutò prouidendum eſt. Itaque cùm init aſthma, nondumque glutinoſus humor arteriarum parietibus tenaciter impactus eſt, ſeu fluxione recenter in pulmonem impetu delapſa, præſcripta diætâ ἐπικεραστικῇ, à quâ δριμέα, δύσπεπτα, φυσώδη quæque arceantur, animi pathemata corporiſque vehemens motus deuitentur, imprimis leniter molliemus aluum crebris enematis, corpus contemperabimus miſſione ſanguinis κατ' ἐπαφαίρεσιν iterata, Catharſi blanda, ſed frequenti: his artibus exhauſto fonte generationis humoris morbifici, maturè meatus impediti expedientur tenuantibus, incidentibus vnáque humectantibus remedijs, quibus non multum caloris inſit, affectæ parti robur conciliabitur, ac ſuus tonus reddetur & ſeruabitur lenibus totius corporis motibus, mollibus thoracis frictionibus. Conferet etiã puluerũ vulpini pulmonis ex conueniẽtibus liquoribus hauſtus, vſus oxymelitis ſcillitici, eclegmatis è ſcilla compoſiti, ſucci è glycyrriſa crebro delingendi, ſyruporũ adiantini, de hyſſopo, de praſſio, confectiones arteriacas linctui potuíve paratas calidiores cũ veterũ tum recentiorũ & diuretica aſthmaticorũ curationi contraria prorſus omittimus.

Non ergo Aſthmaticis diuretica.

Propugnabat PETRVS SAVARRE CARNOTENSIS, Anno R. S. H. M. DC. XXIII.



DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. ANTONIVS ROBIN.
M. GVILLELMVS BELET P.R. & *Præſes.*
M. NICOLAVS REGNIER.
M. IOANNES DE BOVRGES.
M. VALENTINVS HYERAVLME.
M. LVDOVICVS ROBILLART.
M. MICHAEL TOVTAIN.
M. ROBERTVS LE SECQ.
M. SIMON LE TELLIER. M.R.